DE
BLENORRHAGIA
ET
BLENORRHOEA SYPHILITICA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM RITE OBTINENDAM

IN CELEBERRIMO ET ANTIQUISSIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS DAINESE

CHIRURGIAE CANDIDATUS

EX AGRO VICENTINO

PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

1833

Inter morborum seriem, de quibus variae admodum prolatae sunt sententiae, et praeconceptae opiniones plurimae dominantur, illud certe adnumerandum est profluvium mucosum ex utriusque sexus partibus genitalibus manans, quod generali quidem, post celebrem Swediaur autem, speciatim accepto nomine blenorrhagiae, et blenorrhoeae distinguitur. Innumera, quae de eo prostant perlegentibus scripta, occurrunt dubia atque quaestiones de prima ejus origine, de sede, de multiplicibus causis atque speciebus, de contagiosa modo syphilitica, modo peculiari natura, de violentia ex muci secreti colore dijudicanda, de opportunissima curandi methodo; ita ut qui primos in medica atque chirurgica praxi gressus tentat, valde anceps haerere saepissime debeat. Mihi itaque Medicinae pariter ac Chirurgiae operam navanti utilissimum visum fuit, singularem ad hunc morbum attentionem convertere, mearum-

que investigationum partem pro dissertatiunculae meae argumento statuere, ea tamen spe, ut sin minus recte fortasse officio ab Academicis legibus praescripto, necessitati meae saltem servire possem.

Mucosa ex partibus genitalibus profluvia ab antiquissimis Medicae artis cultoribus observata fuisse, nemo est qui ignoret. Errabant vero patres nostri quotiescumque vel ipsius seminis fluxum in hujusmodi morbis dari existimantes, eos gonorrhaeas appellabant, vel omnes indiscriminatim ex veneris abusu repetebant. Siquidem tunc etiam temporis plures extitisse causas oportuit, quibus potissimum illae tribuendae erant blenorrhagiae, et blenorrhoeae, quas ab Hippocratis usque temporibus cognitas Galenus, Celsus, Rhasis, Caelius Aurelianus, aliique omni procul dubio aptissimeque descripserunt. Quin enim, ex eo tantummodo quod perantiqua fuerit syphilidis origo, similia mala ante annum millesimum quadrigentesimum nonagesimum tertium innotuisse credamus, et ratio nobis et experientia suadet, quamplurimas esse tum externas, tum internas potentias nocentes, quae hujusmodi fluxus valent determinare.

Et revera in homine introductio syringae, aliusve extranei corporis in urethram, cantaridumque usus, onania, haemorrhoides, calculi vesicae, cerevisiae recentioris potus nimius, coitus cum muliere albo fluxu et ulcere uteri canceroso adfecta — in muliere fluxus menstrui prima adparitio, repentina suppressio, aut naturalis cessatio, primus coitus, ad stuprum tentamina, graviditas, chlysmatum irritantium abusus, ascaridum

in recto intestino praesentia, ipsa atmosphaerae frigida et humida constitutio — in utroque sexu sympathica ex puerili dentitione irritatio, equitatio diuturna, cretinismus, scrophulae, affectiones rheumaticae et arthriticae retropulsae, lepra, herpetes, aliaque exanthemata vel ad majorem gradum evecta, vel intus reversa, coitus nimius vel sub menstruo fluxu, et prae omnibus syphiliticum virus, totidem sunt blenorrhagiae, et blenorrhoeae causae.

Quae si attento animo perpendantur, ratio quoque patebit, cur adeo varia sit blenorrhagiarum natura, et exinde plures earum species, seriesque constitui possint. Habentur enim primo ii partium genitalium mucosi fluxus, qui nullo in casu, nullaque sub conditione contagiosi fiunt. His proxime cedunt illi, qui datis solum sub circumstantiis communicari queunt, ita ut eorum contagium relativum quodammodo sit. Sub blenorrhagiis ad utramque seriem spectantibus nullum evolvitur principium morbificum, quod in animali oeconomia remanens novorum malorum plus minusve generalium fomes evadat. Tertia series complectitur fluxus, quos modo hoc, modo illud virus, syphilitico excepto, gignit, et qui proinde tum aliquando faventibus circumstantiis, et individuali dispositione per contagium diffunduntur, tum etiam variis aliis morbis, herpetibus ex. gr. aphtis, glandularum, articulorumque tumoribus progressu temporis ortum praebent. Quarto demum occurrit blenorrhagia, et blenorrhoea venerea, quae et frequentissimum facillimumque contagium sistit, et syphilidem ipsam universalem inducere valet.

Ad quam postremam blenorrhagiae speciem

cum disquisitiones sermonemque in praesens circumscribere in animo sit, in primis quaeritur quaenam sit morbi sedes ac pathologica conditio, et quinam decursus.

Inflammatio gravior, acutiorque sub blenorrhagia, mitior magisque lenta sub blenorrhoea membranae mucosae in homine urethram, in faemina urethram et vaginam vestientis, ex qua major, minorve fluidi mucosi, vel *puri* similis secretio, et tum et quando membranae ipsius ulceratio habentur, generalem mali de quo agimus, ideam exhibet. In sexu potiori, sub initio praesertim, pars urethrae anterior, seu sic dicta *navicularis fovea* ab inflammatione corripitur, quae vero postea saepissime ad posteriores partes prostatam versus extenditur. In sequiori sexu vagina ut plurimum afficitur, et exinde nonnumquam ipsius urethrae canalis interior, secretusque humor talem aliquando acredinem acquirit, ut minora ac majora vulvae labia exulceret.

Blenorrhagia ex contagio orta (licet syphiliticae naturae minime sit) die secunda usque ad octavam ex impuro coitu ordinario evolvitur; attamen nonnullis in casibus post duas hebdomadas, et raro post mensem ipsum insurgit. – Prudorem haud molestum ad glandis apicem aegri initio persentiunt; incommodus subsequitur ardor, cum rubore levique tumore, meatus urinarii primo, deinde urethrae totius. Progrediente morbo secernitur humor tenuis lucidusque, qui paullatim luteum viridemque colorem refert, spissior, acriorque fit, et sanguini saepe immixtus apparet. Urget interea ad urinam evacuandam impulsio frequens, ast sub quaque evacuatione ingens

ardor, dolorque pariter ac insolitus ad coitum stimulus, diuturna penis erectio noctu praesertim et cum dolore conjuncta, pollutiones, aliquando rubor et tumiditas proximarum partium, et ipsa febris aegros cruciant. Ubi maxima est mali violentia, priapismus et penis chorda incommoda et irritationem augent; ex tumore inflammatorio glandis et praeputii habetur phimosis et paraphimosis; stranguria snperveniente urinae guttatim exeunt, tenesmus, et prostatae ac glandulorum ad inguines adsociantur tumores. — In mulieribus pruritus et ardor ad urethram, praecipue sub urinae evacuatione, rubor, tumor, durities, dolor atque calor labiorum vulvae tum internorum, tum externorum (unde difficilis incessus fit) nec non modo majoris, modo minoris vaginae partis, una cum supradicta morbosa secretione observantur. — Caeterum inflammationis symptomata usque ad duodecimum, decimumquintum, vigesimum, imo etiam nonnumquam trigesimum diem increscere solent pro varia aegri constitutione, et curationis methodo. Decrementum morbi, praeter alia, indicant spissitudo et color albus humoris, cujus tamen secretio raro ante trigesimum diem cessat, et saepe per menses durat. Neque semper idem est phaenomenorum morbosorum adparatus: nam sub mitissimo nullumque dolorem afferente morbo, ejus praesentia per maculas tantum a secreto muco in vestibus relictas innotescit.

Antequam hic de vario blenorrhagiae et blenorrhoeae exitu sermo sit, duplex, eaque gravissima quaestio extricanda venit; utrum nempe tutissima habeantur signa ex quibus syphilitica ab

aliis contagiosis blenorrhagiis dignoscatur; atque utrum blenorrhagia venerea contagio cuidam peculiari et sui generis, vel eidem syphilitico virus, quod luem universam variasque ejus formas generat, originem debeat suam.

Quoad primam haud difficile certe erit medico oculato ac sollicito blenorrhagias veras a gonorrhoea proprie dicta, atque a puris fluxu e vesica renibusque manante distinguere: et in mulieribus quoque ipse fluor albus a blenorrhoea venerea dignosci quit, dummodo attendamus atque inquiramus, si ab initio usque dolor, ardor, et ad urinae excretionem difficultas defuerint, si humor e vagina fluat, potius quam a finitimis partibus, ejusque secretio sub menstruatione intermittat, et si mulier fortasse pallida cachectica scrophulis, et arthritide laboret. Verum caeteros per contagium se se diffundentes fluxus mucosos partium genitalium a syphilitico minime posse discerni, experientia demonstrat. Etenim nec muci secreti luteus viridisque color, neque ingens ejus copia, nec duratio morbi diuturnior, nec major inflammotionis gradus veneream fluxus naturam indicant, eosque erravisse, qui hujusmodi opiniones protulerunt, una cum Musa Brassavola, Fallopio, Petronio aliisque, neoterici omnes contendunt. Imo experientia ipsa usquedum nondum confirmatum habemus, quod celebris Vedekind de distinctione blenorrhagiae verae nempe coitu acquisitae ab aliis spuriis nuncupatis evulgavit. Dixerat siquidem clarissimus observator, quod in vera blenorrhoea noduli duo lentis magnitudinem referentes sub praeputii fraenulo post urethrae meatum efformentur, qui ad invicem

proximi videri, vel saltem tactu percipi possunt; et glandulis quibusdam debentur, quae blenorrhoeae contagium reapse secernunt, ac proinde blenorrhoicae appellantur (Rust 's Magazin etc. XVII. B. 2. H.). Quapropter nullum dari signum, quod syphiliticam blenorrhagiae cujusdam indolem omni procul dubio demonstret, fateri oportet.

Ad alterius quaestionis gravitatem augendam argumenta conferunt, quae non omni prorsus veritatis forma destituta pro peculiari contagii blenorrhoici natura adducuntur. Haud difficilis tamen eorum refutatio. Jam vero quod nihil probet vetusta blenorrhagiarum observatio, elucet tum ex antiqua syphilidis origine nostris hisce temporibus demonstrata et recognita, tum ex iis, quae de multiplicibus morbi causis supra retulimus. Neque ex eo quod mercurii usus in blenorhoeae curatione vel parvae, vel nullius utilitatis sit, diversam a venerea mali indolem esse licet concludere; cum 1.° mercurialia remedia eamdem indiscriminatim vim in quamcumque syphilidis formam minime exerant; 2.° syphiliticum virus in blenorrhagia adhuc extra circulationis vias probabiliter inveniatur, et 3.° essentialiter differant conditiones organicae in relativis affectionibus morbosis, cum scilicet in blenorrhagia venereum virus ordinario talem tantummodo in partibus inducat irritationem, quae causa evanescente, et ipsa cesset, dum e contra in ulceribus adeo majori polleat vi, ut quasi causticorum more agat, et inflammationem excitet cutim universam penetrantem, talique pacto exulcerantem. Quam quidem postremam opinionem fulcit observatio, qua con-

stat in gravissimis quoque blenorrhagiis talem aliquando et tam vehementem extare phlogosim, ut inde rebellis et venereis canceribus similis ulceratio habeatur. Falsa postremo nonnullorum est sententia, qua neque virus ex ulceribus venereis manans blenorrhagias gignere, neque ex hac syphilidis forma illam oriri posse contenditur. Quae enim Bertrandi, Harrisson, Hunter, Swediaur, Girtanner, Cirillo, Cocbruck, Daran, Bosquillon, Petit-Radel, Fenolio, et Lagneau collegerunt facta, clare aperteque demonstrant, blenorrhagiae virus mucosis organorum superficiebus admotum ulcera varia humidasque pustulas, et quodcumque aliud infectionis venereae primitivum symptoma induxisse, et mercurialium remediorum ope quotquot ex mucoso fluxu improvvide ac repentine suppresso extiterunt mala, bubones nempe, ulcera, exostoses, sanata fuisse. Scimus e contra, experientia duce, quod syphiliticorum ulcerum bubonumque pus tum sub infectione prima, tum sub secundaria lue, blenorrhagias ejusdem indolis generare valeat. Quae cum ita sint, idem esse in blenorrhagia, ac in aliis syphilidis formis contagiosum principium dignoscamus oportet, et fateri simul juvat (quod a nonnullis tamen negatur), ex una aliquando blenorrhagia syphilitica luem confirmatam vel constitutionalem oriri.

Exinde venit, quod varius admodum blenorrhagiae exitus, et cauta valde prognosis esse debeat. Etenim si ut plurimum urethrae et vaginae inflammatio post hebdomadas resolvitur, talique pacto omnis evanescit morbus; aliquando etiam vel ob majorem phlogoseos ipsius vim, vel ob nullam aut minus opportunam curandi me-

thodum, vel ob neglectam necessarii regiminis diaetetici observantiam, diu perdurat, et tunc saepissime alia insurgunt et remanent mala ac incommoda.

Omnium frequentissima est blenorrhoea sic dicta secundaria, quae non modo per menses, sed per annos saevit; unde faciliores evadunt stricturae atque ulcerationes urethrae, ostiorum seminalium aberratio, fungosae in urethra ipsa excrescentiae, chronica tumiditas et induratio prostatae; quas mala excipiunt difficilis urinae excretio, et faecundum coitum peragendi impotentia. —

Insuper ex blenorrhagia, venerea labe sanguinis circulum ingressa, bubones, ulcera ad fauces naresque, dolores osteocopi, exostoses, herpetes pustulosi, ipsaque alopecia nonnumquam exoriuntur. Magni itaque momenti est in prognosi statuenda major, minorve diuturnitas morbi; cujus considerationi illa etiam adjungenda partis ab inflammatione correptae, aegrorum sexus, aetatis, atque constitutionis, primitivae, vel secundariae mali originis, adhibitae curationis methodi, aliarumque similium circumstantiarum, quae dubiam latentemque blenorrhagiae indolem gravitatemque saepissime patefaciunt. Notissimum enim compertumque est blenorrhoeam primitivam recentem, et ex una tantum *fovea naviculari* manantem secundaria chronica atque profundiori facilius sanari; citius in hominibus quam in mulieribus curationem perfici, favente in illis curam frequenti urinae secretione, qua omnis urethrae canalis expurgatur; ad sanationem plurimum bonam nullisque morbis constitutionalibus adflictatam corporis compagem, citissimamque opportuniorum remediorum administrationem conferre.

Verum ad blenorrhagiae exitus multiplicandos nonnulli fortuiti eventus contribuunt, qui modo a repentina muci secreti suppressione, modo a minus congrua medendi methodo, modo ex sympathica vel metastatica irritationis diffusione repetendi sunt. Aliquando enim fit, ut praecox injectionum potionumque adstrigentium usus, remedia drastica adhibita, balnea frigida, frigidae humidaeque atmosphaerae actio, conatus motusque corporis violentiores, coitus, fortiores scroti testiumque pressiones, aliaque similia in causa sint, cur blenorrhagia regularem cursum suum minime absolvat, et testes sinister praecipue, vel ambo alternatim tumeant. Qui quidem tumor licet plerumque resolutione finiatur, nonnumquam tamen, praecipue ubi pluries recurrat, didymi, aut epididymi indurationem causat, vel in suppurationem tendit, vel talem in organis laxitudinem relinquit, quae hydropis tunicae vaginalis evolutioni favet. Ex intempestiva mucosi fluxus suppressione habentur aliis in casibus herpetes et exanthemata, quemadmodum Larrey et Lagneau celebratis viris videre licuit; vel etiam inflammatorii genuum, et praesertim juxta Cloquet femoris cum ileo articulorum tumores resolvendi quidem plerumque, ast anchylosin quoque post se trahentes. Frequentius autem videmus quod vel ex humoris blenorrhoici absorptione, vel ex inconsulto et fortuito manus faedatae tactu, vel ex phlogoseos diffusione per partium consensum textuumque identitatem determinata, vel ex omnibus hisce causis modo blepharo et ophthalmo-blenorrhoea syphilitica insurgat, modo etiam aliae

mucosae membranae, quemadmodum illae sunt meatus auditorii, narium, faucium, ipsorumque bronchiorum, aequali ratione repente adficiantur. Neque defuerunt denique morborum in systemate cerebrali evolutorum exempla, qui ex blenorrhagiaca urethrae irritatione improvviso retenta derivandi erant. Quam ob rem nequis credat, blenorrhagiam syphiliticam lenissimum semper facillimaequae curationis morbum sistere, sed tum ea quae diximus, prae oculis habens tum et ad proximum inflammationis prostatae vesicaeque urinariae periculum attendens, caute quisque ordinateque procedat, ne incongruis remediis medentis naturae opus turbet, et mala graviora inducat.

De quibus remediis in blenorrhagia syphilitica adhibendis cum in praesens sermo debeat haberi, quot et quales in tanta hac re errores apud profanos, quot apud ipsos medicos contrariae animadvertuntur sententiae! Est in plebe qui ad immodicum nitri, salium purgantium, et drasticorum usum confugit, qui solis injectionibus adstringentibus in quoque morbi stadio curam absolvit, qui onaniam ipsam, et, oh! depravatam humanae mentis conditionem! intactae puellae stuprum praedicat. Ex agyrtis quisque suam curandi habet methodum; et inter medicae artis cultores adsunt, qui ex muci secreti colore morbi virulentiam naturamque dijudicare student, qui emollientia ac antiphlogistica, et qui adstringentia prae omnibus commendant, qui externis tantummodo, et qui internis confidunt remediis, qui mercurialia minime necessaria, et qui eorum administrationem omittendam esse contendunt.

Jam vero blenorrhagias diversa methodo curari posse, ostendunt experimenta a Johnston et Bartelett in Edimburgensi militum Nosocomio instituta. Scilicet cum per sex mensium spatium quinquaginta quatuor blenorrhagiaci aegri ibidem curandi haberentur, ex his viginti injectiones ex decem granis nitratis argenti in aquae distillatae uncia solutis adhibuerunt; quiete tantum ac jejunio quindecim, ac decem et novem internis remediis, scilicet pipere Cubeba, Capsico, atque Camphora tractabantur. Priorum cura e tertia usque ad quadragesimam secundam diem perduravit; mediusque ejus terminus decem septemque dierum fuit. Ex jejunio atque quiete curatis alii tertia alii vero vigesima tertia die sanabantur; ita tamen ut generalis curae duratio ad octo se se extenderet dies. Denique in his qui remediis internis utebantur, ea fuit média curationis ratio, ut qui piper cubeba quinta die, decima tertia qui capsicum, et nona qui camphoram sumpserant ad sanationem perducerentur. Ex his tamen comparativis observationibus major alicujus curandi methodi efficacia minime elucet, cum ipsa a varia morbi ipsius periodo maxima ex parte pendere soleat. Siquidem ut recta blenorrhagiae curatio instituatur, ad morbi stadia summopere attendendum est; quorum ad hanc rem opportune tria distinguuntur.

In prima, sive infectionis periodo, sub qua nempe prima experiuntur irritationis symptomata, quas Girtanner, Fritze, aliique commendarunt, injectiones cum lapide caustico soluto et aqua calcis usurpandae essent, nisi et periodi ipsius brevitas ac duratio varia, et tardior quam par est,

medicorum advocatio periculosum valde redderent experimentum. Quapropter, paucis admodum casibus exceptis, ad ea quae in morbi periodo secunda, sive inflammationis conveniunt, jam ab initio generatim confugiendum erit. Simplicior autem methodus antiphlogistica ut plurimum praeligenda. Hinc purgantibus, vel drasticis, vel repetitis nec non nitro salibusque aliis rejectis, mucilaginei emollientesque potus ex seminibus lini, hordeo, althaeae radice similibusque confecti, emulsiones tenuiores amygdalarum tum dulcium tum amararum, serum lactis alternatim in usum commode veniunt; sit parcior diaeta ex vegetabilibus minus nutrientibus, et minime stimulantibus substantiis deprompta; potus calidiores excitantesque, violentiores motus, coitus praesertim, ipsi illecebrosi libri, hominumque conventus vitandi. Summa insuper sit partium adfectarum mundities, quae frequentibus lotionibus et apud mulieres injectionibus quoque mucilagineis a fluente muco sedulo abluantur. Quod si vehementior erit inflammatio, et simplicibus hisce remediis minime compescenda, neque tepidula balnea per diem repetita, nec emollientes obliviscantur fotus, et pro rerum statu sanguinis emissiones modo generales, modo locales semel vel pluries instituantur. Neque certe aliter ac repetitis sanguinis evacuationibus mitigari in hominibus queunt priapismus summo cum dolore conjunctus, penis chorda, inflammatio prostatae, glandularum inguinalium, testium, et funiculi spermatici tumores ex diffusa irritatione orti; quemadmodum in paraphimosi, sub quo glandis volumen frigidis lotionibus balneisque imminui non potest, sola juvat chi-

rurgica manus. Perdurantibus etiam postea priapismo et penis chorda, opportune cedunt emollientia et sedantia localia, et narcotica quoque intus sumpta, si opium excipias. Hujusmodi mitior fortiorve antiphlogistica methodus variae symptomatum vehementiae semper accommodata continuanda venit usquedum sub urinae excretione aliquis ardor supersit; quo cessante, et muco secreto magis albo, tenaciori, et minus copioso facto, morbus tertium ingreditur stadium. In hoc aucta aliquantisper aegri diaeta, morbus aliquando paullatim ad finem vergit suum. Saepius tamen muci perstat fluxus, et blenorrhoea non dolens nova requirit auxilia; quorum alia externa, interna alia. Ad priora multiplices referendae sunt injectionum adstringentium formulae, quibus medici et chirurgici libri scateut. Sulphas zinci a dimidia ad unam drachmam, allumen a duabus drachmis ad unciam dimidiam, sulphas cupri a scrupolo ad dimidiam drachmam, carbonas calcis et plumbum aceticum ad unciam dimidiam, extractum ratanhiae ad drachmas duas, sublimatus corrosivus ad grana quinque, nitras argenti ad grana decem, kali causticum ad grana duodecim pro aquae distillatae libra una, totidem sistunt solutiones in urethram vaginamque injiciendas, ita tamen ut primis sub experimentis diluantur, partiumque majori minorive sensibilitati tali pacto respondeant. Harum porro injectionum usus si in mulieribus frequentiorem locum habere potest, cautissime in homine adhibendus, ne majora mala ex urethrae irritabilitate atque angustia facillime derivanda exoriantur. Hinc ex neotericis plurimi remediorum internorum administrationem praeferre

non dubitant, magnisque laudibus chinam, tormentillam, gummikino, martialia, camphoram, terebinthinam, balsamum copaivae, de Muccha, canadense, piper cubeba aliaque extollunt. De quorum virtute si quod, experientia duce, judicium expromere licet, balsamum copaivae caeteris anteferendum videtur, utpote quod magis constantes perdurantesque effectus exerere potuit. Neque est praetermittendum, ipsum in primo blenorrhagiae stadio, imo a nonnullis in secundo, sive inflammatorio summa cum utilitate usurpatum fuisse, ita ut sin minus specifica illi virtus contra morbum, de quo agimus, tribuenda, certe ab intempestivo illius usu minora damna pertimescenda sint. Quod si nauscosus sapor et noxii in ventriculum et intestina balsami ad duas quatuorve drachmas per diem propinandi effectus ab ejus administratione detineant, tunc, suadente Anglo medico Thorn, resinosum ipsius extractum substitui potest, dummodo ad decem vel quindecim granorum dosim ter de die sumatur.

Tali pacto ut plurimum omnis absolvitur blenorrhagiae et blenorrocae cura, cujus quidem duratio varia determinari nequit, cum a morbi vehementia non solum, verum etiam ab aegri constitutione et sexu, a primo remediorum usu et selectu, et praecipue a sedula diaeteticarum regularum observantia maxime pendeat. Ægrorum certe impatientia, et minus congrua remediorum administratio causae potissimae sunt, cur vel blenorrhagia recidiva fiat, vel secretione muci suppressa, jam supra-enumerata mala superveniant. In primo itaque casu, cura iterum ordinatim instauranda atque ita dirigenda, ut notati vitentur er-

rores. In secundo vero retenti fluxus blenorrhoici revocatio praeprimis indicatur, idque praestant introductio in urethram cereoli simplicis, aut blenorrhoico pure obliniti, vel repetitae in urethram ipsam, aut vaginam injectiones ammoniacales, quemadmodum ex relationibus Academiae medicae Parisiensis constat. (Archiv. gener. de medicin. decemb. 1825). Caeterum in quacumque morbi forma ex blenorrhagiae suppressione repetenda praeter localia a partium adfectarum indole statuque indicata remedia, ea quoque administranda veniunt, quae ab ipsius blenorrhagiae pertinaci natura suadentur.

Et revera si minime eorum sententiam sequi debemus, qui in quoque blenorrhagiae casu in tertio ejus stadio ad mercurialia confugiendum esse docent, neque ad eos certe accedendum est, qui numquam horum remediorum necessitatem agnoscunt. Ubi enim blenorrhoea opportunae curationi adhibitae aptoque servato regimini pertinaciter resistat; ubi ob levem quamcumque causam recidiva fiat; ubi morbi ex retenta muci secretione derivandi, hac etiam restaurata, perdurent atque increscant; ubi post diuturnum fluxum aliqua in urethra ac vagina ulceratio timenda sit: ne graviores illae et constitutionales insurgant adfectiones, quas in aegris pluries, imo una vice tantum blenorrhoeas perpessis celebratissimi omnium nationum medici observarunt, hydrargyri praeparata omni procul dubio praescribenda. Aliquando etiam in chronico illo fluxu, quam ob tenuitatem suam *Goccetta* Itali nominant, frequentes penis in aqua frigida gelidaque immersiones sufficiunt, quemadmodum alias in blenor-

rhoea tum virili, tum muliebri chronica balnea frigida, ac marina natatio, aquae sulphureae minerales, vesicantia ad perinaeum eam absolverunt curationem, quae frustra aliunde requirebatur. Demum si quae aliqua post blenorrhoeam in urethra strictura remanserit, cereoli cauta admotio malum solvit.

Quae sub glandis corona ex glandulis ibidem existentibus adparet morbosa muci secretio, *blenorrhoea glandis,* vel *spuria* dicta, dummodo syphiliticae naturae sit, eamdem expostulat curationem ac illa, de qua pro juvenilibus viribus aliqua hic redigere studuimus.

THESES DEFENDENDAE

I.

A colore fluxus blenorrhoici gravitas morbi nunquam dijudicanda.

II.

Morbus recidivus semper gravior.

III.

Primarius opii effectus in organismo semper excitans, vinique effectui comparandus.

IV.

Morbus phlogisticus absque febri nunquam.

V.

Medici officium duplex; privatae unum, alterum publicae salutis necessitates spectans.